

Dissertatio medica inauguralis, sistens quaedam de palustrium locorum insalubritate a miasmate oriunda / [Stephen Pellet].

Contributors

Pellet, Stephen.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1779.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/chqmtbgu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D 80 t
40273/P

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
SISTENS QUÆDAM

DE PALUSTRUM LOCORUM IN-
SALUBRITATE A MIASMATE
ORIUNDA.

Q U A M,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

N E C N O N
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

P R O G R A D U D O C T O R A T U S,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E G I I S
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S;

Eruditorum examini subjicit

S T E P H A N U S P E L L E T, A. B.
B R I T A N N U S,

Soc. Med. Edin. Soc. et Praef. Ann.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

Omnis aër quo propior est terris, hoc crassior. Quemadmodum in
aqua et in omni humore faex ima est: Ita in aëre spississima quaeque
desidunt. S E N E C . Nat. Quæst. L. iv. c. x.

E D I N B U R G I:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIX.

310386



1993-91

Celeberrimo viro

G U L I E L M O C U L L E N,

A quo

Nova omnibus Medicinae partibus lux affulsit,

Qui merito.

Novissimam in ipsa Epocham constituit:

Item,

Celeberrimo viro

J O S E P H O B L A C K,

Qui verae Philosophiae documenta
Grata Sermonis elegantia decorans,

Chemiam,

Egregiis inventis auctam,
Propriam sibi vindicat;

Semper colendis,
Amicissimis Magistris,
Obsequientissimus discipulus
Hasce studiorum primitias,
Exiguum
Summae observantiae et grati animi
Testimonium

D. D. C. Q.

Dr Ford

from his friend
& fellow Candidate
the author

E R R A T A.

- P. 1. l. 10. *a fine*, *humani*, *lege humano*.
2. 3. *a fine*, *caeni*, coeni.
6. 7. *caenosos*, coenosos.
7. 12. *feri*, fere.
12. 8. *alluvionibus*, inundationibus.
16. 3. *a fine caenosa*, coenosa.
45. 4. *epidemicas* epidemias
46. 8. *a fine, cornicularum*, corniculatum..

DISPUTATIO INAUGURALIS,

SISTENS QUÆDAM

DE PALUSTRUM LOCORUM IN-
SALUBRITATE A MIASMATE
ORIUNDA.

P R O O E M I U M.

1. **Q**UICUNQUE, vel novas res discendi cupidine ducti, vel humani generis suppetias ferre cupientes, morborum varia genera indagare tentaverunt, quosdam certis regionibus quasi proprios esse observaverunt, et Endemiorum nomine appellaverunt.

2. Eorum autem causas investigantes, in quibusdam inesse, quae omnibus talis regionis incolis communia essent, nunc diaetam, nunc peculiarem ipsius aëris constitutionem incusantes, autumantur.

2 DE PALUSTRIUM LOCORUM

3. Insignem inter tales morbos locum obtinent qui in paludesis regionibus saeviunt, et ex eorum noxiis effluviis oriri videntur.

4. De iis pauca differere lubet; non aliquid novum proponere, vel quae diu nota sunt magis perspicua efficere sperantes; quae nec ingenii acumine, neque propria experientia freti, tentare valemus; sed almae hujus Academiae morem gerentes, qualequale specimen offerre jubemur, quod nos non omnino desidiae fuisse deditos, cum summos in medicina honores ambire ausi simus, ostendat.

P A R S P R I M A.

C A P. I.

Quid sit Palus,

5. Lata sed parum profunda et fere immota aquarum collectio, caeni praesertim parte super aquam eminente, Palidis nomine designatur: Quam appellationem Lancisius ad stagna et lacunas,

nas, modo desides caenosasque aquas contineant, extendit.

6. Regiones minus incolis refertae, et ideo minus cultae, extensas saepe paludes exhibent. Aquae scilicet a montium et collium jugis in valles fluentes, si decursui obstacula offendant, ibi stagnant, et planitem inundant, quae hominibus impervia, commodum variis plantis et insectis nidum praebet.

7. Et ipsi fluvii ripis minus accurate incarcerati, inundationes, impedimentis praesertim oppositis, late diffundunt.

8. Hinc variae aquarum collectiones, quae lacus vel paludes efformant.

9. Denique, fluvii limum undis vehentes ipsa ostia saepe impediunt, alveum late extendunt, et immensa stagna, angustis canalibus intersecta efformant.

C A P. II.

Palustres Regiones insalubres esse.

10. Multorum saeculorum experientia constat, talium regionum incolas pluribus morbis fuisse

fuisse obnoxios, qui longe severius advenas fere
univerfos affecerint.

S E C T. I.

Veterum Testimonia.

11. Et hic non defunt veterum auctorum testi-
monia, inter quos Pater Hippocrates agmen du-
cere celebratur, cum in lib. de Nat. Homin.
§. 18. ita scribit. ‘Quando ex uno morbo mul-
ti homines corripiuntur eodem tempore, cau-
sam ad id quod communissimum est, et quo
maxime omnes utimur referre opportet. Est
autem hoc spiritus et aér quem inspirando tra-
himus, et palam est eum ipsum spiritum morbo-
sam aliquam *exhalationem* habere.’

12. Et in lib. de Flat. ‘Cum igitur aér in-
quinamentis hujusmodi, quae hominum naturae
adversantur, plenus fuerit, tum homines aegro-
tant.’

13. Inquinamentorum autem naturam fusius
explicat in Epidem. lib. 3. ‘Aliquando post diu-
turnas pluvias ingentem subortam fuisse pestem,
totam civitatem Abaton pervastantem.’

14. Eandem fuisse Galeni sententiam, patet ex lib. i. de Different. Febr. ‘ In pestilenti aëris statu, inspiratio potissimum febris est causa ; fit enim et aliquando ob eos qui sunt in corpore humores ad putrescendum paratos, cum brevem aliquam occasionem ad febris originem ab aëre ambiente acceperit animal ; magna autem ex parte ex inspiratione incipit aëris circumstantis a putrescibili evaporatione infecti. Putredinis autem principium ex aliquorum vel lacuum vel paludum aestatis tempore evaporatione.’

15. Diodorus Siculus ad eandem causam Athenensem pestem refert. ‘ Cum ergo praecessissent hyeme magni imbræ, contigit terram humidioræ fieri, et multa aquaticis locis accepta, aquarum vi paludescere, et continere stantem aquam, non secus ac loci palustres : His vero calefactis per aestatem, et putrescentibus, consurgere densos et faetidos *vapores*, qui exhalantes, vicinum aërem corrumpebant : Quod etiam in paludibus morbosam retinentibus dispositionem videtur accidere.’ *Bibl. Hist.* lib. 12.

16. Dionysius Halicarnassensis memorat, crudellem epidemiam in Volscorum regione grafsantem,

6 DE PALUSTRIUM LOCORUM

fantem, a pestiferis paludis Pontini exhalationibus obortam. *Antiq. Rom. lib. 7.*

17. Ideo Hispaniam saluberrimam esse tradidit Justinus, quia per illam aequalis aëris spiritus, nulla paludum gravi nebula inficitur. *Hist. lib.*

44.

18. Urbes ad lacus caenosos fitas aërem morbosum attrahere, auctor est Strabo, in descriptione Alexandriae. *De Situ Orbis, lib. 5.*

19. Selinuntios quotannis a putrescentis fluvii faetore peste mulctatos, tradidit Laertius. *In Em-ped. Vit. lib. 8.*

20. De Camarina notum est adagium :

Mη κινετος κακωσινη.

21. Vitruvius non dubitat afferere, infalubres esse Altinum, Ravennam, Aquileiam, et Salapiam, propter vicinas paludes. *Archit. L. 1. c. 4.*

22. Varronis etiam et Columellae adsunt testimonia de vitandis locis palustribus. *Varr. L. 1. e. 12. Colum. c. 5.*

23. Quae medicinae principes, summi historici, architecturae, et rerum rusticarum periti notaverunt, ea et ab ipsis poëtis debito lepore decanta-ta fuerunt.

24. Hydra Lernaea ab Hercule occisa, et ser-pens Pytho ab Apollinis sagittis transfixus, nihil

videntur

videntur esse praeter antiqua palustrium regionum insalubritatis testimonia.

25. Lacus Avernus in Campania, adeo propter foetida effluvia fuit infamis, ut inferorum ostium habitus fuerit. *Aeneid. vi. 237.*

26. Scriptores qui palustrium morborum historiam fusius tractaverunt, plurima alia veterum testimonia de paludum insalubritate collegerunt, eadem per media secula ad nostra tempora plane deducentes: Ita ut nullum possit remanere dubium, quin viri docti, aequa ac vulgus, unanimo ferri consensu palustrium regionum insalubritatem agnoverint. *Targioni Tozetti Rationamenti.*

S E C T. II.

Recentiorum Observationes.

27. Sed et in multis orbis partibus adhuc remanent paludes, quorum vicinia insalubritatis nota infamis est. Notantur imprimis, in Anglia ipsa, Essexia, Cantia, Comitatus Lincolnensis et Cantabrigiensis, ager Portesmuthanus, &c. In Belgicis provinciis, Zealandia, magnoque Flandriae et Brabantiae

8 DE PALUSTRIUM LOCORUM

Brabantiae pars. In Suecia, Hungaria, Dalmatiaque, tractus plurimi. In Italia, Latii et Etruriae pars. Minorca et Sardinia insulae. In Africa, Guinea, et Ægyptus. Insulae ad Viride Promontorium, Madagascaria, &c. In Afia, Mocha, Balsora, Gambroon; Insulae Java, Sumatra, et Banda; regna Araken et Pegu; et Bengal ad ostia Gangis. In America, Marylandia, Virginia, et Carolina Meridionalis; Georgia et Florida Occidentalis, Mobile et Pensacola; *Basse-Terre* in Sancti Christopheri insula, et *Bridge-Town* in insula Barbada; Antigua et Jamaica insulae; Regiodunum in insula Sancti Vincenti; Insula Sancti Domingo, Guadalupa, Martinico, Sancti Eustachii et Curacoa; Cayenno et Surinam, Veracruz, et orae Mexicanai sinus.

C A P. III.

Quinam Morbus palustribus Regionibus endemius.

28. Palustrium regionum incolae scorbuto et cachexiae quidem sunt quandoque obnoxii; saepe et dysenteriis vexantur; Sed morbus iis locis
maxime

maxime endemius est febris intermittens vel remittens, quae, et si aliquando continuae specie larvetur, semper tamen de intermittentium profapia esse videtur, nisi quod nonnunquam, ut in morbo Hungarico obtinet, typhus contagiosa simul adfit. Praeterea, morbi Hungarici nomine aliquando febres continuae non secus ac intermittentes descriptae fuerunt.

29. Variorum enim auctorum enarrationibus, qui palustres epidemias in variis regionibus saevientes descripserunt, attente perspectis, eas non nisi vehementiae symptomatum gradu differre, sed omnino ad eandem fectionem pertinere admodum probabile est.

30. Haec sententia clarissimorum imprimis virorum Equitis Pringle et Jacobi Lind observationibus consentanea, et celeberrimo Cullen etiam placuit, ut eam in praelectionibus suis tueri soleat.

31. Lancisius quidem, saeviente prima earum quas describit epidemia, quosdam continuais febribus affectos observavit. Cum ipsi autem numero pauciores et a paludibus magis remoti essent, eos potius synocco vel typho contagioso laborasse probabile est.

C A P. IV.

Morbi Causa Miasma.

32. Hujus autem morbi causa quae excitans nuncupatur, noxiis quibusdam effluviis ex paludibus surgentibus jure referri debet. Nam sub coelo alias optimo saevit morbus in vicinia paludum, fanissimos homines eo deductos subito invadens: Nonnisi in palustribus regionibus, quatenus novimus, oritur, et, exsiccatis vel purgatis paludibus, debellatur: Praeterea, qui ab effluviis debita cura cavere valent, immunes remanent morbi, qui aucta miasmatum copia ingravescit: Denique, aliae causae, quibus iste morbus adscriptus est, ipsum producere non valent.

S E C T. I.

Sub Coelo alias optimo Paludes noxii.

33. Peritus medicus Lancisius multis et validis argumentis Romani coeli salubritatem demonstrat.

monstrat. Ostendit optimum esse Romanorum colorem, acre eorundem ingenium, et suaves temperatosque eorum mores: Apud cives caute viventes paucos admodum esse morbos vernalulos; plurimos autem senes incolumem in ea degere vitam.

34. In hac autem civitate, praeter pestes a Livo memoratas, et ab aliis post ipsum observatas, quinque Lancifius epidemias describit, in quibus arcendis diligentissime ipse incubuit, et quae sine dubio a paludum seu stagnantium aquarum effluviis excitatae fuerunt.

ART. I. *Epidemiae in Roma et vicinis Lacis.*

35. Ipsarum prima anno 1694 diuturnos imbres et magnas Tiberis inundationes secuta, Romae in Leonina nuncupata civitate saeviit.

Secunda in urbe veteri orta, per aliquot annos graffata est usque ad 1705, post auctum fossarum, in quibus cannabis maceraretur, juxta urbem, numerum, variamque praeterea fordium accumulatam colluviem, quae gravissimum odorem ibi-
dem

dem quaquaversum effundebant ; graveolentibus eodem tempore quibus cives utebantur aquis.

36. Tertia, Februm Balneoregii graffantium, post integri collis prope eam urbem lapsum, unde rivus interceptus, et complures lacunae aperiae sunt, quae aquas effluentes receperunt.

37. Quarta, Februm Pisauri, ob stagnantes aquas, tum ex fluvii alluvionibus, tum ex lento ac saepe interrupto cursu per urbem illam fluviali ; nec non ex viarum immunditiis per aestates annorum, praefertim 1708, et sequentium.

38. Quinta, Februm quae Agnaniae, Feren-
tini finitimusque locis, propter stagnantes aquas,
anno 1709 graffatae sunt.

ART. 2. *In Britannia.*

39. Britannia coelo propitio fruitur : Aēr in ipsa purissimus, rarissime vel nimio aestu excandescit, vel gelu intenso et diutino superveniente incolis molestiam facebat. Felix itaque et saluberrima est regio, paucis locis exceptis, qui paludibus vicini, saepe incolis, certius advenis, perniciem fere universam inferunt.

40. Vectis

40. Vectis insulae praे omnibus salubritas celebratur : At in ipsa urbe Brading dicta, prope parudem sita, febribus maxime est divexata. *Lind, dis. 214.*

41. Intermittentes fere nusquam in Caledonia endemici apparent, exceptis quibusdam in Lothiana tractibus paludosis.

42. Edina ipsa saluberrima est ; quidam autem suburbani, juxta ipsam loci paludosi, insalubritatis suspicionem incurrere dicuntur.

ART. 3. *In Belgicis Provinciis.*

43. Salubres sunt Flandriae maxima pars, nec non aliae Austriacae Provinciae, in solo fatis excelsa, ideoque sicco, sitae. Quae vero humiliores sunt, insalubritatis nota adeo infames sunt, ut exercitus et praefidia in iis collocata, mirum in modum febribus vexentur.

44. Ipsae urbis Gandavii pars excelsior salubris est ; quae autem humilior in paludoso solo sita est, militibus ibi degentibus anno 1742 admodum fuit funesta, qui cum postea ab ea migrassent, fani denuo evaserunt. *Pringle, Dis. p. 12.*

45. Anno

45. Anno 1745, post captam Ostendam, quinque legiones, in quibus decem tantum aegri milites inventi sunt, ab ea civitate remotae, et ad urbem Montes Hanoniae dictam deductae, post tres septimanas 250 aegros numerabant. Nempe, agri vicini inundationibus hoc tempore foedabantur. Mox milites Bruxellas deducti, sani vixerunt. Sed alia legio, eodem tempore in arce Antwerpiae collocata, quae prope paludes est sita, post circiter duos menses et semissem 183 aegros numerabat. *Pringle*, 37.

ART. 4. *In Hungaria.*

46. Hungaria insalubritate infamis devenit, quod humiliores in ea tractus, juxta Danubium et Dravum, exercitibus ibidem degentibus funesti admodum fuerint: At aliae Hungariae partes, quae inundationibus non obnoxiae sunt, salubres esse dicuntur. *Pringle*, 188.

ART. 5.

ART. 5. *In Minorca.*

47. In Minorca insula, nedum paludes juxta urbem veterem vel novam inveniuntur, sed etiam incolae hortos aqua puteali irrigare coguntur, quam tanta copia affundunt, ut coenum inde efformatum magno ranarum numero domicilium praebeat; insalubres autem sint adjacentes domus.

48. Praeterea, experientia compertum est, per noctationem prope urbem, qua horti jacent, admodum periculosam esse; cum agricultae in vineis, ab urbe remotis, securas noctes degant.

49. Quae autem domus super rupem mollem et quadantenus spongiosam exstructae sunt, aqua, post imbres, a rupe absorpta, et dein ibidem stagnante, incolis saepe exitiosae evaserunt. *Phil. Trans. 1776.*

ART. 6. *In Ægypto.*

50. Ægypti salubritas a multis auctoribus celebratur, et adhuc regio ferax est et incolis refer-
ta.

ta. Ea tamen, si aquae Nili diu post inundationes stagnent, epidemiis obnoxia fit. *Pringle,*
193.

51. Alexandriae, teste Alpino, autumno graffantur febres multae pestilentes, quarum ortus plane referri debere videtur in putridos halitus, qui a subterraneis urbis locis, cavitatibusque palustri aqua plenis, aëri tunc permiscentur.
 Urbs etenim haec tota super columnas marmoreas, numero fere infinitas, posita et fundata est, ita ut fundamenta hae solum omnium domorum sint, quae universam omnium aedium basin sustentant. Ideo loca urbis omnia subterranea, inania, et pervia existunt, ut affirmant aliqui : Quod ea causa factum fuit, ne urbs terrae motibus foret obnoxia : Vel aliis ita putantibus, ut aquam a Nilo flumine per rivum in urbem manantem populus copiosissimam in subterraneis illis magnis cavitatibus ad usum per annum conservaret. Singulis annis perauicti fluminis illius rivus Caleg vocatus, in eas urbis cavae copiosissimam aquam evomit, quae sequenti aetate fere tota absimitur, paucissimaque remanet, quae caenosam palustrisque reddita, corruptitur, veneficaque evadit ; ex qua tunc multi vapores sursum elevati aërem inficiunt qui pestiferarum illarum

* illarum febrium causa existit." *P. Alp. de Medic. Ægypt. lib. I. c. 14.*

ART. 7. *In Guinea.*

52. Guineae solum ferax omnigenos fructus edit, animalium autem numerosas species gignit; et, locis paludosis exceptis, salubris est regio per plures anni menses. Cum autem assidue decidentibus imbribus coenosa fit palus, graffatur fœnsta pestis. *Lind, Dis. 49.*

ART. 8. *In Sinensi Imperio.*

53. Sinensis Imperii omnium rerum feracissimi salubritas, ex paene incredibili incolarum numero probatur. Ii autem tractus in quibus oryza colitur, quique ideo paludosí sunt, febribus et obnoxii videntur. Idemque de aliis locis, ubi oryza colitur, observatur, *Lind, Dis. 85.*

C

ART.

ART. 9. *In India Occidentali.*

54. Sancti Christophori et Barbadae insulae saluberrimae sunt; sed in hac *Basse Terre*, in illa *Bridge Town*, dictae urbes, ob vicinas paludes, infalubritate sunt infames.

S E C T. II.

Subitus Morbi Impetus.

55. Qui palustria loca adeunt, saepe adeo subito morbo corripiuntur, ut nullum sit dubium quin paludum effluviis adscribi debeat.

56. Adeo venenata effluvia a Naroniano solo affurgunt, ut anno 1727, teste celeberrimo medico Pujati, quotquot ex rure *Racischie* dicto ad caedenda ligna illuc appulerunt, quotquot ad ea navibus exportanda illuc petierunt, nemine excepto, plus minusve aegrotaverint. Milites autem ibidem munimenta contra fluvii impetum exstruentes,

entes, licet per duos solummodo dies quaelibet cohors commorata fuisset, singuli morbo Naroniano correpti sunt. *Pujat. de Morb. Naron.*

p. 7.

57. Cum juxta Portesmutham milites arma tractare consueverint, sex aliquando simul inter exercitationem aegrotabant. *Lind, Dis. 23.*

58. Targioni Tozzetti, cum herbas collecturus palustrem locum adiisset, post paucas horas morbo correptus est. *T. T. 319.*

59. Lind memorat quosdam venationi et aucupio juxta fluvium Gambiam intentos, qui nausea, vomitu, et cephalalgia fuere correpti, simul ac prope magnam quamdam paludem devenerint. *Lind. Eff. 156.*

S E C T. III.

Exsiccatis Paludibus, cessat Morbus.

60. Multorum seculorum experientia constat, quod, exsiccatis paludibus, multae regiones, antea admodum insalubres, sanissimae denuo factae fuerint.

61. Hujusmodi operum utilitatem grato animo agnoverunt homines, qui inter Deos et Heroas eorum autores adnumeraverunt.

62. Serpentis Pythoni historia ex limo post diluvium corrupto enati, et ab Apollineis tandem sagittis transfixi, ab epidemia quadam post inundationem saeviente, et exsiccata regione debellata, ortum plane duxisse videtur.

63. Ideo a Dionysio Halicarnassensi celebratur Hercules, quod fluviorum, qui campos inundabant, cursum mutaverit. Fossis autem ductis, agros vicinos a Penei fluvii inundationibus liberaffe, obscoenamque vallem, in qua non pasci, sed stabulari, numerosa Regis Augiae armenta consueverant, inmisso fluvio purgasse celebratur.
Pausan. Arcad. Dion. Halic. Rom. Ant. lib. 1.

64. Sed ut a mythologia ad historiam transeamus; quanta fuit apud Romanos cura, ne aquae circa urbem, vel in Latio, omnino stagnarent.

65. Scilicet, ipsis in omni aevo persuasum est, salubritatem regionis a paludum exsiccatione vel purgatione pendere.

66. Quum autem post Barbarorum irruptiones, excisis ductibus, aquae Romanum per agrum passim in stagna confluxerint; hinc magna regio-
ni

ni pernicies, urbs civibus orba, agri solitudine inculti, coelum gravitate infame.

67. Tandem post diutinam pacem, cum Pontifices, adventitiae labi remedium adferre conati, urbem et agros exsiccare et purgare cuperint, rursus salubris et incolis referta evasit. *Lancisi. Pringle.*

68. Sapientibus praesertim Lancisii consiliis obtemperantes, epidemias et praesentes submoveare, et futuris occurrere, potuerunt.

69. Targioni Tozzetti morbum saevissimum, in tractu quodam Etruriae *Valdinievole* dicto, grafsantem describens, eum omnino a statu Focechii lacus pendere ostendit; hujus enim tractus historia per longam annorum seriem deducta, patet ipsum fuisse saluberrimum, dum locus puris aquis refertus cymbis assidue pervius erat; cum autem, varias ob causas, subsederint aquae, et lacus in paludem conversus fuerit, tum saeviit epidemia.

70. Et aliae regiones, paludibus exsiccatis vel purgatis, salubiores factae sunt. Sic plurimi in Anglia tractus, quidam imprimis in Northumbriae et in Cambrorum confiniis, febris olim vexabantur, quae nunc, exculta et exsecata regione, fere prorsus evanuerunt.

71. Idem et de Lutetiae et Burdigalae vicinia
observatum est. *De Lassone, Memoire Instructif.*
1776.

P A R S S E C U N D A.

C A P. I.

De Palustrium Effluviorum Natura.

72. Miasmatum naturam curiosius investigare
conati sunt Lancisius et Pujati.

73. Lancisius palustrem aquam cum coeno in
phiala exceptam, et igni admotam, inodorum
primum atque in acidum facile concessurum phleg-
ma; deinde liquidum ex commixto impuro sul-
phure male olens, mox etiam acro-volatiles sales,
tandemque oleum foetidissimum, ingratum, et
plane veneficum, emittere animadvertisens, eodem
fere ordine Solis calore effluvia e paludibus emit-
ti praepostere admodum putavit.

74. Nam Solis calor, etiam si adeo intensus esset,
ut paludem fervefaceret, accuratam tamen ejus
analysin

analysin minime posset exhibere. Calor autem phialae admotus, nova principia evolvere debuit, quae nunquam a Solis calore assurgere potuissent,

75. Pujati naturae operationes accuratius imitari conatus, situlam aeneam terra, herbis, et aqua completam, Soli exposuit. Sequenti die, fermentatio quaedam incepit; bullae scilicet cum herbis ad superficiem ascenderunt, mistura grave quid sed herbaceum olebat. Superveniente pluvia, cessabat fermentatio. Hujus autem aquae portione quadam evaporata, nova signa apparuerunt; viscidior scilicet latex, foetor autem gravior: Effluvia autem argenteum hypocyathum proprius admissum facile conspurcabant: Vermiculi tandem in limo visi sunt.

76. Sed neque ex hoc experimento quidquam utile de effluviorum natura eruere possumus. Exigua admodum eorum copia e situla assurgere potuit, nec quidquam praeter foetorem emitens, quae sternutationes quidem excitavit, et in naribus quamdam malam sensationem, ad duas ferme horas perdurantem, reliquit.

77. Cum autem irrita fuerint clarissimorum virorum experimenta, vix nos quidpiam certum de miasmatum natura, ex ipsarum paludum contemplatione,

temptatione, eruere speramus. Phaenomena nihil-
ominus attento animo consideremus.

78. In paludibus ingens coeni copia assidue
coacervatur. Scilicet aquarum stagnatio variis
plantarum speciebus commodissimum nidum prae-
bet: Saepe et magnam foliorum copiam, variaf-
que praeterea fordes, ventus progressu temporis
secum vehit, quae omnia ibidem remanent, et
computrescunt.

79. Innumera etiam insectorum genera palu-
des frequentant, et ibi excrementa et ovula de-
ponunt, moxque peritura sepulturae locum in iis-
dem paludibus obtinent.

80. Variam hanc vegetabilium et animalium
mischelam, superveniente Solis calore, *fermentatio-*
nem quamdam subire, quae *miasmata* producat,
probabile est.

81. Quoddam sui generis *effluvium* ex supra-
dicta fermentatione enasci, verosimile videtur:
Quoniam nec calor, nec humor, nec putredo pa-
lustres febres excitare valeant.

S E C T.

S E C T. I.

Humor et Calor.

82. In calidis quippe regionibus, quae sicco tam
en aëre fruuntur et solo, intermittentes ortum
non ducere solent.

83. Humor calori junctus fibras laxas efficit ;
corpus exinde debile et effaetum evadit : Viribus
autem vitalibus imminutis, si adsint contagium
vel miasmata, eorum impetum resistere minus
valebit. • Nisi autem ipsa aderint, nec orientur
febres.

84. Itaque navigantes sub candenti Sole, opti-
ma quidem valetudine fruuntur, saltem dum
spiraculis cavetur, ne humana in iis effluvia accu-
mulentur ; et, debita exercitatione, ac vegetabi-
libus ad diaetam adhibitis, Scorbatus arcetur.

85. Itaque, anno 1759, quatuordecim hominum
millia, postquam per sex menses in navibus de-
gerint, non plures quam viginti aegros nume-
raverunt. *Lind, Eff. 214.*

86. Cum Portesmuthae grassaretur epidemia febrilis, decem hominum millia in navibus juxta *Spithead* stantibus, morbum omnino effugerunt. *Lind, Eff.* 219.

87. Anno 1747, naves in freto juxta insulam *Waleheren* in Zelandia ad anchoras stantes, epidemiae tamen immunes fuerunt, quae oras utrinque vexabat. *Pringle, 57.*

88. Naves juxta insaluberrimum Indorum littus ad anchoras stantes, saltem dum fenestrae clausae remanferunt, quae littus spectabant perniciem evaferunt, quae fenestris apertis eos saevissime divexabat. *Cullen, Praelect.*

89. In America Septentrionali, qui juxta lacus degunt, vegeti remanent; qui autem juxta paludes, paucis ab iisdem milliaribus distantes, febribus ii vexantur.

90. Cum aggeribus ruptis, Batavorum regionem aquae inundaverint, non tamen faevit epidemia, donec, subsidente latice, coenum apparere inceperit.

91. Memorat Senac, ad magnae urbis maenia, stagnum latissimum profundumque, in quo, lapsu temporis, accumulata colluvies, simul ac ad aquae superficiem apparere inceperit, horrenda febris loca vicina depopulavit.

92. Geneva Allobrogum ad ostium Rhodani sita, quo e Lemano lacu emititur, saluberrimo tamen aëre fruitur: Fossis autem intempestive purgatis, febribus vexata fuit, quae, cum aqua denuo in iis libere fluxisset, tandem cessaverunt.

93. Quae supra (69.) de lacus Focechii statu novimus, et hic locum etiam inveniunt.

94. Navium autem recens constructarum insalubritas potius a quodam miasmate, ex humido signo exsurgente, quam a puro humore, oriri videtur. *Lind, Eff. 23.*

S E C T. II.

Putredo.

95. An putredini miasmatum virulentia accepta referri debeat, multum disputatum est, et lis adhuc forte sub judice est.

96. In paludibus quidem ingens adest putrida colluvies: Calor autem et humor, quae putredinem maxime promovent, miasmatum vim et acutere videntur.

97. Sed

97. Sed putredo saepe innoxia est, vel morbos a palustribus diversos excitare consuevit.

98. In multis urbibus, quae putrescentibus foribus sunt refertae, nullae tamen epidemiae gravantur.

99. Qui cadavera fecant, et eorum effluvia diutius hauriunt, febribus continuis et aliquando diarrhoeis sunt obnoxii: Palustria autem miasmatia intermittentes vel remittentes excitant.

100. Continuis etiam febribus aliquando vexantur, qui in palustribus regionibus degentes, ex putrescentium piscium carne vesci solent.

101. Promi condi, qui in navibus putridorum effluviorum magnam copiam hauriunt, non magis tamen febribus obnoxii quam alii nautae videntur.

102. Nec ipsa sterquilinia, nec stabula, quae putrescentibus effluviis maxime abundant, febres excitare videntur. In stabulis tamen adfunt calor, humor, et putredo. Adeo in iis magna effluviorum ex pecorum corporibus surgentium copia. Saepe in iis mixta animalium vegetabiliumque diu concocta colluvies, foetorem gravissimum edit, quod maxime in ovilibus, fuilibus, et chortibus observatur, nec tamen epidemicas morbis ortum dare videtur.

103. Me-

103. Memini litis, in curia *Bancus Regius* dicta, villico cuidam intentatae : Is chortem alibus villaticis adeo refertam possidebat, ut annum redditum quingentarum librarum inde perciperet. Hujus autem chortis graveolentia, vicinia admodum molesta, insalubritatis suspicionem praebuit ; et de chorte, quasi publica esset offensa, in libello conquestum est. Testibus vero untrinque interrogatis, judicio vicit villicus. Nedum ullam noxiam a chortis effluviis illatam fuisse probatum est ; sed etiam reus actoris personam induit, et, accusatore in jus citato, is tandem graviter a curia mulctatus est.

104. Et ipsi agricultae et hortulani, qui simum agris ingerunt, vegeti tamen et fani remanent.

105. Qui autem cloacis purgandis incumbunt, non febribus, sed feveris ophthalmiis, teste Ramazini, obnoxii sunt.

106. Lancisius quidem, assumpto panno cuius pars cerato linteo coniecta, pars autem altera explicata, libero aëri ad regionem in quam ex palude ventus spirat exposita fuit, invenit partem quae effluviis obvia fuit vermis refertam. Sed hoc experimentum tantum probat, vel putridum humorem cum miasmatibus a palude assurgere, vel mortali epidemiam incitasse miasmatum obstringere.

vel miasmata ipsa vermium generationi favere, nullo modo autem ea ipsa esse putrida.

107. Senac asseverat, quod qui prope lacum supra memoratum (91.) degerent, nec per tres horas quidem carnes asservare poterant, quae statim putrefescere solebant. Sed et hoc experimentum tantum probat, effluvia e palude assurgentia, putrefactionem promovere, non autem ipsa esse putrida.

108. Nec enim ea quae putredinem inducere valent semper sunt putrida, nec effluvia a putridis substantiis assurgentia, putrefacientia semper observantur. Creta enim et sal marinus inter septica, alkali autem volatile inter antiseptica numerantur.

C A P. H.

Quae Paludes magis minusve noxiae.

109. Missa igitur ipsorum effluviorum natura, quae caligine obsita videtur, ad quaedam magis obvia deveniamus: Scilicet, quaenam paludes sint magis minusve noxiae, investigemus.

110. Quoniam humor, calor, putredo, et quies, miasmatum generationi favent, debita istorum copulatio

copulatio majorem miasmatum copiam gignere valebit.

S E C T. I.

Humor.

111. Humoris quidem, si nimia adsit copia, abserit effluviorum virulentia, moderata nempe fermentatione quae miasmata gignat.

112. Itaque saepe ipsae inundationes pestem arcent, donec superfluus humor evaporatione dissipetur.

113. Pujati memorat, spatiofam paludem a fontibus Lquentiae efformatam, quae tamen nullam labem viciniae intulit; scilicet, aqua per totam paludem continuo movetur.

114. In India assidui imbræ fluvios, et praefertim Gangen, purgant, putridamque colluviem ibidem accumulatam ad mare vehunt. Hinc, si siccior fuerit aestas, et inundationes minores, tum magis saevit epidemia. *Lind, Bengal, p. 14.*

115. In eunte autem pluviosa tempestate, maxime saevit epidemia in Guinea, cuius vasti tractus

in

in coenosas paludes subito mutantur, putridique et venenati halitus aërem prorsus implent. *Lind,*
Dis. 51.

116. In Europa vero imbres qui subinde tantum cadunt, nec regionem paludosam efficiunt, saepe utiles admodum sunt, aërem nimirum refrigerant, et a noxiis effluviis purgant.

117. Itaque celeb. Pringle observat, milites maxime morbis fuisse obnoxios, cum calor esset maximus et pluviae minus frequentes. *P. 83.*

118. Sardinia etiam magis febribus vexatur, cum imbres deficiunt.

119. In Belgicis Provinciis subterranea aqua adeo soli superficie vicina est, ut vix ulla sicca fossula in iis inveniatur. Persuasum autem est celeb. Pringle, incolas eo magis esse febribus obnoxios, quo propior soli esset aqua subterranea: Ejus autem distantia a puteorum altitudine facile aestimari potest. *Pringle, 3.*

S E C T. H.

Calor.

120. Calor major, humoris praesertim superaditus, vires enervat, et corpora magis potestatis bus

bus nocentibus obnoxia reddit: Sed et ad miasmatum ipsorum productionem saepe conductit.

121. Itaque, durante aestivo calore praesertim faeviunt epidemiae, quae et superveniente hyeme debellantur: Et in calidissimis regionibus, caeteris paribus, maxime perniciofa sunt effluvia, et severissima febrium symptomata. Nec mirum. Calor enim fermentationibus omnibus necessarius est, et mixtae animalium et vegetabilium substantiarum, quae in paludibus coacervantur, faruginis, solutionem et putrefactionem maxime promovet.

122. Frigus autem hyemis fermentationem omnem impedit; ideoque miasmata non eo tempore cognoscuntur. Deest et gradus caloris qui effluvia attollere valeat.

123. Sed per ver et aestatem diu concocta colluvies magnam miasmatum copiam, ineunte autumno, emittit.

S E C T. III.

Putredo.

124. Quamvis autem putredo per se palustres morbos excitare non valeat, ea tamen et in ex-

citanda miasmatum generatione, et in ipsorum virulentia acienda, non parum juvat. Eae itaque paludes quae majorem putrefacientium copiam continent, magis ideo perniciosae sunt.

125. Guinea humida regio, innumeris insectis et plantis referta, quae mixta in paludibus computrescunt, advenis ideo maxime est perniciosa.

126. Indi sordes omnes in Gangi deponunt, et ibidem ipsa cadavera demergunt: Hujus autem aquae, post inundationes, foedissimum limum super agros relinquunt, ex quo mox terrima miasmata exsurgunt. *Lind, Bengal.*

127. Cadavera in locis uliginosis sepulta, adeo pestifera effluvia emittunt, ut fossores saepe morbo corripiantur: Nec ipsi qui propinquis et amicis exsequia celebrant, a peste sint tuti. *Lind, Lancisi.*

S E C T. IV.

Aquarum Mixtura.

128. Nec parum refert ipsius aquae natura quae in paludem influit: Quo enim ea purior est,

est, eo magis innoxia erit palus. Si autem e mari, vel e thermis, aquarum miscela in paludem effluet, multo magis metuenda erunt quae inde assurgent effluvia.

129. Lancisius observat, de agro Romano, nec non de Ferentensi, atque aliis locis ubi thermales aquae abundant, morbos inde ortos semper graviores esse, quam qui a dulcium aquarum effluviis excitarentur. Perniciofissimam autem esse aquae falsae miscelam variis exemplis probat.

130. Targioni Tozzetti aquas falsas fluminis Salsero, in paludem Focechii fluentem, hujus insalubritatem multum augere putavit.

131. Inter alias causas quae epidemias adeo graves in India efficiunt, maris inundationes sine dubio adnumerari debent. Maris etenim aestus Gangis aquas per centum milliaria falsedine inficit, magna que fatis copia vicinos campos post inundationem aspersos relinquit.

132. Decedente itaque maris aestu, aegri pejus se habere observati sunt: Magna enim coeni copia quae littora foedat maximam miasmatum copiam emittit, quae aërem inquinat, funestaque movet exacerbationes, quae Lunae influxui olim adscribi solebant. *Lind, Bengal.*

133. Civitas

133. Civitas Leidensis, licet aquis circumdata, salubris tamen fuit, usquedum maris aquae in fossis et lacunis immissae fuerint: Tum autem, saeviente epidemia, Sylvius le Boe ut iter mari intercluderetur consilium dedit, quo facto, cessavit epidemia.

134. Certa scilicet salis quantitas putredinem maxime promovet; ideoque fermentationem, quae miasmata evolvit, accelerare videtur.

C A P. III.

Pernocatio.

135. Maxime perniciosa videtur in palustribus regionibus pernoctatio.

136. Itaque multos in vitae discrimen venisse, qui in Latio dormiverint; unde et universae regionis aërem, per totum autumnum, apud vulgus, pestiferum haberi, quod in palustribus locis somno indulserint, afferit Lancisius.

137.

137. Qui in palustribus Angliae tractibus bene
mane surgere solent, ii febribus aliisque morbis
maxime obnoxii videntur. *Lind. Eff. 76.*

138. Anno 1739, qui aquatum euntis, in Mi-
norca insula pernoctabant, epidemia tunc saevi-
ente correpti sunt; qui autem adveniente sera ad
naves redibant, sani remanserunt. *Lind. Eff. 78.*
Vide supra (48.)

139. Plurima alia exempla quae pernocta-
tionem prope paludes esse perniciosa ostendunt,
memorat Lind.

140. Cur autem nocte magis periculosa sit pa-
ludum vicinia, variae causae assignatae sunt quae
minus probabiles videntur. At, cum per som-
num vires vitales sint debiliores, sine dubio cor-
pus miasmatum virulentiam minus tunc effugere
valet: Exhalationes autem ipsae forte copiosiores
quae oriente Sole ab atmosphaera decidunt.

C A P. IV.

Quatenus Miasmata progrediantur.

141. Nisi autem flante vento, non procul ab
ipsis paludibus miasmata aërem inquinari viden-
tur.

142. Prima epidemia a Lancisio observata per humiliorem tantum civitatis Leoninae partem saeviit.

143. Idem de Mutinensi epidemia anno 1690 observavit Rammazini; idem de Gandavia Eques Pringle.

144. Itaque Lind observat, quod anno 1765, cum funesta epidemia saeviret Pensacolae; nulli tamen ex iis qui in navibus, mille tantum passibus a littore stantibus, remanserunt, morbo corrupti sunt. *Lind, Diff. 171.*

145. Epidemia quae urbem *Brading*, in insula Vecti infestat, raro mille ab ipsa urbe passus graftatur. *Lind, Diff. 214.*

146. Cum anno 1748, inundationibus pagus *Vucht*, in Brabantia vexaretur; tamen *Helvoit* alias pagus, quingentis tantum passibus a primo distans, morbi immunis fuit. *Pringle, 63.*

147. His exemplis ea addi debent, quae supra (86.—88.) de maris salubritate memoravimus.

148. Itaque, quo longius ab origine sua miasmata recedunt, eo minus eorum virulentia est metuenda.

149. Itaque, anno 1744, cum Britannica classis ad ostium Tiberis staret, eae naves quae littori proprius erant, morbum contrahere cuperunt; quae autem

autem longius remotae stabant, morbi immunes fuerunt. *Lind, Eff. 69.*

150. Inferior domorum pars magis effluviis e terra surgentibus obnoxia, et ideo magis insalubris videtur: Ita ut in eadem domo, qui superiorem partem occupabant, tuti et fani diutius remanserint, dum ii qui in humiliori parte degabant, illico correpti fuerint; quod celeberrimi Cullen observatione confirmatum est.

C A P. V.

An aliae sint Palustrium Morborum Causae?

151. Aliae quidem palustrium morborum assignatae sunt causae, quae autem nisi cum paludum effluviis concurrant, vel in genere innoxiae videntur, vel morbos a palustribus omnino diversos excitant,

S E C T.

S E C T . I.

Aēr.

152. Accuratus ille naturae phaenomenon obſervator, nec non veritatis cultor Sydenham, endemiorum praeſertim morborum cauſam ab aēris ipſius mutatione pendere autumans, per plures annos aēris conſtitutionem ſedulo notavit, varioſque variis anni tempeſtatibus morbos ſae- vientes deſcribere conatus, quofdam in omnibus fere conſtitutionibus graſſantes invenit, quos, ut minus ab aēris conſtitutione pendentes, intercur- rentium nomine appellavit; alios, certo faltem ordine, juxta aēris conſtitutionem, progredi diu perſuafum habuit: At, poſt longam obſervatio- nem, ſententiam tandem mutavit, aērisque disposi- tionem morborum ſympotmata quidem aliquando moderari, non tamen eos per ſe producere, fateri conatus eſt.

153. Itaque, cum pro comperto habuerit, al- terationes, quoad ſenſibiles annorum qualitates, utcumque

utcumque dispares, morborum epidemicorum speciem non protulisse; et annos quoad manifestam aëris temperiem sibi plane consentientes, dispari admodum agmine infestari: Certam autem annorum seriem, quantumlibet annus unus ab alio, externa facie discrepaverit, omnes nihilominus in eadem febrium stationarium specie producenda convenisse: Constitutionis mutationem a secreta aliqua et abdita in terrae visceribus alteratione, atmosphaeram omnem pervadente, vel a corporum caelestium influxu aliquo, maxime pendere putavit. Pestem autem ipsam, praeter aëris constitutionem quae epidemiae faveret, a miasmate, vel seminio ex pestifero aliquo corpore, vel immediate, ac propiori consortio, vel mediate, ac per fomitem aliunde transmissio, pendere decrevit.

154. Multi autem post Sydenhamium, cum aëris constitutiones in variis locis per plures annos sedulo notaverint, nihil certum de morborum epidemicorum causis invenire potuerunt, nisi quod, post assiduos imbres, et subsequentes inundationes, frequentes fuerint intermittentes, quae ad miasmata facile referri debere videntur.

S E C T. II.

Ventus.

155. Ventus saepe morbos epidemicos excitasse creditus est, nec mirum. Adeo pestiferi sunt quorumdam ventorum halitus, ut praesentem perniciem inferre videantur.

156. Talis est ventus dictas Samiel, qui in Lybiae et Arabiae desertis, viatoribus adeo infestus est, ut, si salvi effugere cupiant, simul ac nota quaedam in aere mutatio hujus adventum prae-nuntiat, aversi in humum se prosternere, dum urens halitus transiverit, cogantur.

157. Calidissimus enim est hic ventus a meridie Septentrionem versus, per Torridam Zonam excurrens: Praetereaque, magnam secum vehit subtilissimae arenae copiam: Pulmonibus itaque admissus, suffocatio plerumque sequitur; eoque flante, graves ophthalmiae graffantur. Effoetae autem in corpore vires, miasmatum venenum, eodem tempore in Aegypto, ob auctas Nili inundationes,

dationes, maxime virulentum, resistere minus valent. *Targioni Tozzetti. Lind.*

158. Eodem modo fervidus Vulturni halitus corpora laxa et debilia efficit: Nisi autem concurrente miasmate, febres intermittentes producere nunquam potest.

159. Multa ab antiquis et a recentioribus de venenato Austri halitu decantata fuerunt. At qui optime ostendit Lancifius, ipsum Austrum Romano quidem agro perniciosum fuisse, cum per propinquas paludes transiverit: Purgatis autem vel exsiccatis paludibus, lacunis, et cloacis, Austrum omnino fuisse innoxium, contendit.

160. Infelix solum Naronianum ventis per paludes transeuntibus perflatur. Aquilones enim montes arcent; sed ventis a meridie et occasu, per planitiem paludibus refertam flantibus, facillem aditum praebent.

161. Tractus in Etruria Valdinievole dictus, et morbis endemiis vexatus, ventis a meridie flantibus apertus patet, qui per vastas paludes transeunt, dum Septentrionem versus regio collibus undique cincta, vento est omnino impervia.

162. Teterimus in Guinea nimbus, *Harmattan* vulgo nuncupatus, a pestilenti stagnantium aquarum

aquarum in regione *Benin* colluvie assurgens, Euronoti et Libanoti alis vectus, cum immensas paludes perflaverit, miserrimam remotissimis oris luem longe lateque diffundit.

163. Venti igitur suas dotes a regionibus ex quibus oriuntur, vel per quas transeunt, omnino acceptas referre videntur.

164. Ex supra dictis patet, quanta collum et praefertim sylvarum utilitas, quae palustria effluvia, ventis delata, arceant. Quam periculosa sit sylvarum quae prope paludes sunt excisio, multis exemplis ostendit Lancisius,

S E C T. III.

Aqua Epotae.

165. Aquarum ab incolis epotarum natura, ad regionis salubritatem vel insalubritatem multum conferre videtur. Quae itaque clarae, perspicuae, inodora, dulces, minus graves, ac cito calentes et frigescentes observantur, salubritatis notas habere creditae sunt. Et, si praeterea chemica analysi nihil in ipsis noxium inveniatur, et post diuturnum

num usum innoxiae apparuerint, in nullam insalubritatis suspicionem incidunt.

166. Tales autem esse Romani agri aquas, testatur Lancisius; eas itaque epidemicas excitasse jure negat.

167. Cujus testimonio addi potest celeberrimi Pringle observatio, nempe, milites aquas purissimas epotasse, dum nihilominus palustribus morbis vexarentur.

168. Ipse Princeps Eugenius, cum bellum gereret in Hungaria, aquam a Vindobona accersitam epotans, crudeli tamen morbo correptus est.

Lind, Eff.

169. Non igitur aquarum salubritas epidemias arcere potest, si noxius adsit in aëre miasma. Cum autem rarius insalubres aquae inveniantur, nisi in coenosis tractibus, ipsarum insalubritas a miasmate praesertim pendere videtur.

170. Ipsae quidem paludum aquae, si diu stagnent, virulentae evadere possunt, ita ut pisces in iis natantes, deteriores, imo et morbidi et insalubres, evadant. Quod Targioni Tozzetti de tractu dicto Valdinievole afferit.

171. Pisces etiam in fluvio Narone, insalubritatis nota infames sunt. Et non unquam ipsi
enecti

46 DE PALUSTRUM LOCORUM

ene&ti inveniuntur: Avesque ipsae palustres aliquando in iisdem aquis occubuisse dicuntur. *Pujati.*

S E C T. IV.

Diaeta.

172. Nec tamen liquet piscium in aquis stagnantibus captorum carnem comedam palustres morbos unquam excitasse. Nec quidem ipsos morbos ullis in diaeta erroribus adscribi debere.

173. Varios quidem morbos a prava diaeta ortos fuisse, certum est. Sic carnes salitae, deficientibus oleribus, scorbutum excitare solent. Quaedam leprae species ab immoderato piscium usu ortum habuisse dicitur. Secale cornicularum dictum morbos spasticos, quandoque et sphacelum, produxisse memoratur. Et alii forsan in diaeta errores varios morbos excitare possunt. Quinam autem palustres morbos excitare valeant, nunquam compertum est. Sed in palustribus regionibus, qui sanissimo victu utuntur, morbo tamen saepe correpti observantur.

174. Annonae caritas, quae civitates obsidione cinctas fatigat, pravo victu vel fame debilitatos milites, miasmatum actioni magis obnoxios redere potest, nunquam autem per se morbos palustres excitasse memoratur.

175. Crapula etiam, temulentia, et commestationibus in locis palustribus, effoetae vires, miasmati facile cedunt: Cum, e contra, salubris et lauta diaeta, quae fines a temperantia praescriptos non superet, corpora robustiora et a miasmate tutiora efficiet.

S E C T. V.

Quae debile Corpus reddunt.

176. Quod de diaeta observavimus, et de aliis quibuscumque causis quae debile corpus reddunt aequi certum est: Ipsae omnes corpus ad morbum quidem praedisponunt, qui, superveniente miasmate, excitatur.

C O N-

C O N C L U S I O.

177. Multa quidem de cautelis quarum ope miasmata arceri, vel eorum vis eludi possit, tradita sunt, quae commodum forsan hic locum inventirent. Eae autem facile ab iis quae de paludum varietatibus, et de caufis quae eas plus minusve noxias efficiunt, erui possunt.

178. Ipsarum paludum exsiccatio et purgatio, ab architecturae peritis praesertim petenda, satis diligenter et a Lancisio tractata sunt.

179. Quo autem modo miasma corpus afficiat, ut inde morbus excitetur, ad ipsius morbi caufam proximam relegamus, quam nunc attingere non animus est, qui miasmata quatenus remotae sunt morborum caufae considerare instituimus.

E L E N-

MURDOCHI MONTGOMERY'S
ELENCHUS RERUM.

PROOEMIUM. p. 1

PARS PRIMA.

C A P. I.

Quid sit Palus. 2

C A P. II.

Palustria loca esse insalubria probantur, 3

S E C T. I. *Ex Veterum Testimoniiis.* 4

S E C T. II. *Ex Recentiorum Observatio-
nibus.* 7

C A P. III.

*Quinam Morbus palustribus Regionibus en-
demius.* 8

C A P. IV.

Morbi Causa Miasma palustre. . . . 10

G S E C T.

S E C T. I. *Sub Coelo alias optimo Palu
des noxiae.* . . . 10

ART. 1. *Epidemiae in Roma et vicinis
Locis.* 11

ART. 2. *In Britannia.* 12

ART. 3. *In Belgicis Provinciis.* 13

ART. 4. *In Hungaria.* 14

ART. 5. *In Minorca.* 15

ART. 6. *In Ægypto.* ib.

ART. 7. *In Guinea.* 17

ART. 8. *In Sinensi Imperio.* ib

ART. 9. *In India Occidentali.* 18

S E C T. II. *Subitus Morbi Impetus.* 18

S E C T. III. *Exsiccatis Paludibus, cessat
Morbus.* 19

P A R S S E C U N D A.

C A P. I.

Quaenam Palustrium Effluviorum Naturasit 22
S E C T.

S E C T. I. *Humor et Calor.* 25

S E C T. II. *Putredo.* 27

C A P. II.

Quae Paludes magis minusve noxiae. 30

S E C T. I. *Humor.* 31

S E C T. II. *Calor.* 32

S E C T. III. *Putredo..* 33

S E C T. IV. *Aquarum Mixtura.* 34

C A P. III.

De Pernoclatione in locis palustribus. 36

C A P. IV.

Quatenus Miasmata progrediantur. 37

C A P.

C A P. V.

An aliae sint Palustrium Morborum Causae? 39

S E C T. I. *Aēr.* 40

S E C T. II. *Ventus.* 42

S E C T. III. *Aquae epotae.* 44

S E C T. IV. *Diaeta.* 46

S E C T. V. *Quae debile Corpus reddunt.* 47

C O N C L U S I O. 48